

benefacit. Audi autem dominum: Qui diligit me, mandata mea seruabit. Vides nos diligendo deum seruare mandata eius? Mandata autem eius omnia de amore mutuo tractant. Et iterum: In hoc scient omnes, quod mei discipuli estis, si diligitis inuicē. Vides iterum, quod ex mutuo amore discitur amor erga Christum, ita ut simus eius discipuli & amici? Obserua autē, quomodo oēs animæ uirtutes enumerarit. Est enim uirtus animæ animalis, quam insinuat dum dicit, ex tota anima. Iram enim & concupiscentiam totā dilectioni dei dari uult. Est & alia uirtus animæ, quæ dicitur nutritiua: ea est & plantarum, quæ & ipsa quoque deo tota est danda. Est insuper rationalis uis, quam nominat uir lex intelligentiam. Omnes igitur animæ uirtutes charitati sunt offerendæ.

Et respondens Iesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribæ, Christum esse filium Dauid: nam ipse Dauid dixit afflatus in spiritu sancto: Dixit dominus domui meo, sede à dextris mihi, donec posuero inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid uocat eum dominum, & unde filius eius est? Et pleraque turba audiebat illum libenter. Et dicebat illis in doctrina sua: Cauete à scribis, qui amant insulati obambulare, & amant salutationes in foris, primasque sellas in cōgregationibus & primos accubitus in cœnis: qui deuorant domos uiduarum, & sub prætextu longas faciunt preces: isti accipient grauiorem damnationem. Quia Christus ad passionem accessurus erat, corrigit prius opinionē scribarū erroneā, qui suspicabant Christum esse filium Dauid, sed non dominum. Demonstrat igitur se deum, ex ipsis Dauid uerbis. Et non simpliciter, sed deterret, eo quod dicit, Donec posuero inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Nam ipsi omnino erant inimici eius, quos posuit deus pater scabellum pedum Christi. Vide autem & quomodo interrogat: nō enim dixit, Quid uobis uideretur de me: sed, de Christo. Et ita non perstringit eos. Et, neque potestis mihi dicere, quod absque spiritu hoc dixerit: sed spiritus sancti afflatus dixit, dominum: hoc est motus gratia spiritus. Quomodo ergo Christus filius est Dauid, an non & dominus eius & deus? Turba igitur audiebat eum libenter. & dicebat turbæ: Cauete à scribis, qui splendidiore ferunt stolas, & propter illas præferri uolunt, salutationesque & celebritates fori probant, & gloria omnibus modis student, qui & domus uiduarum comedunt. Clam enim accedunt ad mulieres præsidio destitutas, quasi illarum futuri tutores & patroni, & prætextu longæ orationis, & in uestitu reuerentiæ, & simulatione decipiunt simplices, deuorantes domus diuitum: illi igitur grauiorem accipient damnationē, quàm alij Iudæi peccantes. Potentes enim potētius punient. Interim & apostolos docet, ne iuxta scribarum morem uiuāt, sed se imitent. Doctores enim illos ordinantē, uerisimile est ut uitæ suæ fecerit imitatores.

Et quum federet Iesus ex aduerso gazophylaci, spectabat quomodo turba mitteret res in gazophylacium: & multi diuites mittebant multa. Et uenit quædam uidua pauper, misitque minuta duo, quod est quadrans. Vocatisque ad se discipulis suis, dicit illis: Amen dico uobis, quod uidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Nā omnes ex eo quod ipsis supererat, miserunt: at hæc ē penuria sua omnia quæcumque habebat, misit totam substantiam suam. Mirabilis quædam consuetudo apud Iudæos erat. Qui enim poterāt & uolebant, mittebant in thesaurū templi, qui uocabatur gazophylaciū, è quo sacerdotes & pauperes, & uiduæ alebantur. Quumque id multi facerēt, & uidua accessit, suā uoluntatē declarans opibus abundantiorē. Gloria tibi Christe, quæ & parua gratiora sæpe habes quàm magna. Quæso ut & mea anima uidua talis sit, quæ abijciatur a satana, cui ut uiro adhæsit, & mittatur in thesaurū sacrū, duo minuta, carnē & mentē, quæque parui faciat: cōtinentia quidem carnem, humilitate uero animā, ut & ego audiā, quod totā meā uitā cōsecrarim deo, nō relicta ulla cogitatione uel affectione huic mundo.

CAPVT XIII.



Et quum exiret de templo, dicit illi quidam è discipulis illius: Præceptor, uide quales lapides, & quales substructiones. Et Iesus respondens, ait illi: Vides has magnas substructiones? Non relinquetur lapis super lapidem, qui

nōn diruatur. Et quum sederet in monte oliuarum ē regione templi, interrogabant illū secretō Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum est, quando hæc omnia sint consummandæ? Quoniam multa de desolatione Hierusalem dicebat Iesus, quod relinqueretur illorum domus deserta: discipuli eius admirantes, quod tantæ magnitudinis, tamque pulchra ædificia abolenda essent, ostendunt illi decorem templi. At ille nihilominus prædicit perdenda, & intantum ut neque lapis super lapidem maneat. Et dicunt quidam multas superstities reliquias Hierusalem ueteris ciuitatis, & ita tentant ostendere mendacem Christum: sed neuitā quā hoc uerum est. Nam etsi relictæ essent reliquiæ quædam (quod non est uerum) non tamen relinquentur usque ad consummationem seculi. Historiæ enim habent, quod Aelius Hadrianus templum & ciuitatem à fundamentis effoderit: & ita in illo impletum est, quod non sit relictus lapis super lapidem. Porro sedente illo in monte oliuarum, accesserunt ad eum interrogantes: Quando hæc erunt? hoc est, quando consummabitur Hierusalem? At ipse antequam responderet eis de his de quibus interrogabant, munit cogitationem illorum, ut ne errent. Quia incipientibus illis fieri in Iudæa, surrexerunt quidam, qui se dicebant magistros, dicit dominus: Videte ne decipiamini.

At Iesus respondens illis, coepit dicere: Videte, ne quis uos fallat. multi enim uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus: multosque decipient. Quum autem audieritis bella, & rumores bellorum, ne turbemini: oportet enim fieri, at nondum finis. Insurgit enim gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum. Et erunt terræmotus in singulis locis: & erunt fames ac turbationes. Initia dolorum hæc. Sed caute uos uobis. Tradent enim uos in concilia, & in synagogas: cædemini, & sub principibus ac regibus ducemini propter me in testimoniū illis. Et apud omnes gentes oportet prius prædicari Euangelium. Multi uenient, qualis erat Iudas, qualis Theudas, qui dicebant se à deo missos esse. Bella autem futura dicit, quæ & Iosephus narrat ante captiuitatem facta. Nam insurgebat quidem gens, & non reddebat tributa. Rhomani autem irati, eos interfecerunt, & continuis insidijs ac cladibus affecerunt, sed nondum finis Hierusalem: Rhomani enim misericordes erant. Non solum autem bella erant, sed & aliæ clades à deo immissæ, ut fames & terræmotus, ostendente eis deo manifeste, quod ipse illos impugnaret. Omnia enim hæc principia parturitionum, hoc est malorum quæ euentura sunt, Caute uobis, tradent enim uos in concilia. Tempestiue interferit narrationem illam, ut habeant consolationem quandam in proprijs calamitatibus ex communibus. Sed & dicendo, Propter me ducemini ad duces & reges: consolationem eis non paruam attulit, quod pro ipso passuri essent. In testimoniū uero illis, hoc est ut inexcusabiles illi sint, & ob hoc condemnati, quod etiam torquentes nos, ueritatem uincere non potuerunt. Deinde, ne putes quod pericula & afflictiones prædicationem prohibeant, inquit: Et in omnes gentes oportet prædicari Euangelium, & tunc capietur Hierusalem. Nam quod ante captiuitatem prædicatum sit Euangelium, audi Psalmistā: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. quod & ipsum in maiorem condemnationem Iudææ factum est, quod ante captiuitatem ubique Euangelium prædicatum est. Nam quum uiderent tam breui tempore in totum orbem prædicationem transire, etiā ipsos agnoscere Christi uirtutem, poenitentiam agere, & liberari à calamitatibus: sed nō intellexerunt, & idcirco maius illorum iudicium.

Quum autem duxerint uos tradentes, ne præcogitatis quid dicturi sitis, neque meditemini: sed quicquid datum fuerit uobis in illa hora, hoc loquamini. Non enim estis uos qui loquamini, sed spiritus sanctus. Traditurus est autem frater fratrem in mortē, & pater filium: & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus, propter nomen meum. Sed qui perseuerauerit usque ad finem, hic saluus erit. Antequam bellum perfectum excitatum, quid non patiebantur apostoli ab illis, dum protraherentur ad tribunalia, & ducerentur ad reges, Herodem, & Agrippam, & Neronē? Ne igitur antea solliciti sitis, inquit, quod loquamini: sed in ipsa hora dabit uobis spiritus sanctus.

ritus sanctus quæ loquamini. Prædicat autem eis, quod præ omnibus graue, nempe à maxime familiaribus impugnandos. Et dicit hoc, ut quum prius audierint, præparentur, & periculū facilius ferant: deinde cōsolatio sequitur, quod propter me odio eritis habituri. Quod enim propter ipsum fuerunt odio habituri, satis erat ad omnes calamitates leniendas, quin & quod saluandi erant perseueraturi usque in finem, etiam ipsum maximam afferebat consolationem.

Porro quum uideritis abominationem desolationis, de qua dictum est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet: qui legerit, intelligat. Tunc qui fuerint in Iudæa, fugiant ad montes: qui uero fuerit in tecto, ne descendat in domum, nec ingrediatur ut quicquam tollat de domo sua. Et qui fuerit in agro, ne reuertatur ad ea quæ reliquit à tergo, ad tollendum pallium suum. Væ autem prægnantibus, & lactantibus in die illo. Abominatio desolationis, statua est eius qui ciuitatē destruxit. Abominatio enim omne idolum dicitur. Desolationis uero, eo quod capta & desolata Hierusalē, statuerunt illū intra aditum templi. Pilatus quoque Cæsaris imagine noctu in templū illata, magni tumultus author fuit plebi: tunc enim cœpit & bellum, & desolatio Hierusalem. Igitur tunc hi qui in Iudæa erant, fugerunt in montes. Bene autem dixit, hi qui in Iudæa: nam apostoli non fuerunt in Iudæa, sed ut diximus, antequam bellum exortum est, in persecutione exastati sunt à Hierusalem, immo ipsi exierunt diuino afflati spiritu. Qui igitur inuenti in Iudæa, fugerunt. Et is qui supra tectum, nullius rei gratia quæ in domo, reuertatur. Expedit enim, ut quis uel nudo corpore saluus fiat. Insuper uæ & prægnantibus, & lactantibus uæ. Quare? quia non possunt fugere mulieres quibus sunt pueri, affectione erga illos detentæ. Prægnantes quoque propter uteri sarcinam, nec ipsæ facilem fugā inueniunt. Existimo autem, quod & pueros hoc loco significet uorandos. Fame enim obsessi, nec pueris pepercerunt.

Orate autem, ne fuga uestra fiat hyeme. Erunt enim dies illi talis afflictio, qualis non fuit ab initio rerum conditarum, quas condidit deus, usque ad hoc tempus, nec futura est. Et nisi dominus abbreviaisset dies illos, haudquaquam salua fuisset uniuersa caro. Sed propter electos, quos elegit, abbreviauit dies. Si hyeme fuga fieret, temporis iniuria impedimenta habituri essent fugere uolentes: & omnino afflictio futura esset, & earum quæ fuerunt uel erunt unquam grauissima. Sed propter electos, hoc est eos qui ex Iudæis crediderunt, uel postea credituri sunt, bellum citius direptum est. Deus enim quia præcognouit ex Hebræis multos post captiuitatem credituros, non permisit totum genus aboleri. Possunt autem hæc morali sensu ita exponi: Abominatio desolationis, est omnis diabolica cogitatio, quæ stat in loco sancto, hoc est, nostra mente. Tunc igitur qui est in Iudæa, fugiat in montana: hoc est, qui confessus fuerit, currat ad uirtutū montes: Iudæa enim confessio dicitur. Et qui in summo stat, non descendat: quando enim affectio quædam in mente nostra reperitur, oportet per confessionem ad summa recurrere, & à summitate non descendere. Et qui operatur quod bonum, non reuertatur ut tollat ueterem consuetudinē, quæ est uestis quam exuit. Væ autem fugienti in hyeme. Oportet enim nos fugere à peccato cum alacritate, & non frigide & segniter. Hoc enim per fugam in hyeme insinuat.

Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, ecce illic: ne credatis. Exorientur pseudochristi & pseudoprophetæ, & ædent signa ac prodigia ad decipiendum, si fieri possit, etiam electos: uos autem cauetes, ecce prædixi uobis omnia. Cæteri uero in illis diebus post afflictionem illam sol obtenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli decident, & uirtutes quæ in cœlis sunt cōcutientur: & tunc uidebunt filium hominis ueniētem in nubibus cū potestate multa & gloria. Quia impleuit quæ ad Hierusalē attinent, incipit igitur nunc de aduentu Antichristi dicere. Quod autem dicit, Tunc intelligas, quod quando fiunt ea quæ supradicta sunt de Hierusalem, tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, ne credatis, sed scito, quod scripturæ proprietates hæc est, si cut & Matthæus post genealogiam Christi, dicit: In diebus illis aduenit Ioannes. Quia uero diebus: nam mox sequentibus post Christi natiuitatem, non, sed indefinite. Sic igitur

Danie. 9.

Ioel. 2.

Esaia 13.

& hoc loco dicit, tunc non quando Hierusalem desolata fuit, sed per tempus aduentus Antichristi, ne seducamini. Multi enim pratexent nomen Christi, ita ut & electos seducere queant. at post aduentum Antichristi, omnis creatura immutabitur, quando stellæ obtenebrabuntur propter immensam lucem Christi. Commouebuntur autem & angelicæ uirtutes, hoc est, obstupeſcēt, uidentes tantam rerum mutationem fieri, & cōser uos suos iudicari. Et tunc uidebūt dominum, ut filium hominis, hoc est in corpore. Nā quod spectatur, necesse corpus est. Quamuis autem ut homo ueniet, aderit tamen cum potestate & gloria magna.

Et tunc mittet angelos suos, & aggregabit electos suos à quatuor uentis, à summo terræ usq; ad summum cœli. A ficu uero discite similitudinem: quum ramus eius tener fuerit, produxeritq; folia, scitis quod prope sit æstas: sic & uos quum uideritis fieri, scitote quod prope sit in foribus. Amen dico uobis, quod nō præteribit generatio hæc, donec omnia hæc facta fuerint. Cœlum & terra transibunt, sed uerba mea non præteribunt.] Vides quod & filius angelos mittit, sicut & pater. ubi igitur sunt, qui dicunt: Non est æqualis deo & patri? Venient igitur angeli ut congregent electos, q̄ tanquā in nubes rapī occurrant domino. A ficulnea autem discite, quod dico. Quemadmodum enim folia ficu habēt, statim æstas adest: sic & post afflictionem Antichristi, statim absq; ullo mediatore aderit Christi aduentus, quæ reuera æstas quæ dā est iustis ab hyeme, peccatoribus autē hyems ab æstate. Amē dico uobis, quod generatio hæc, hoc est Christianorum, nō transibit, donec hæc omnia, de Hierusalē & Antichristi aduentu, fiant. Non enim generationem dicit apostolorum, quia pleriq; non usq; ad consummationem Hierusalem uixerunt: quomodo ergo ad consummationem mundi pertingere dicerentur? Generationem itaq; Christianorum dicit: ita consolans apostolos, ne suspicentur, quod quum tanta mala fiant, forte deficiat fides, quasi diceret: Confidite, & bono animo esto: te, nō præteribit generatio fidelium, neq; deficiet. Prius enim transibūt immobilia hæc elementa, cœlum & terram dico, quam mei sermones in ullo intercidant. Omnia enim quæcunque dixi, perficientur.

Cæterum de die illo ac tempore nemo nouit: ne angeli quidem qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed solus pater. Cauete, uigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre agit, relicta domo sua, deditq; seruis suis substantiam suam, ac suum cuiq; opus: & ianitori mandauit, ut uigilaret. Vigilate igitur, nescitis enim quando dominus domus uenturus sit, sero an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo: ne si uenerit repente, offendat uos dormientes. Cæterum quæ dico uobis, omnibus dico, uigilate.] Volens dominus discipulos à diei & horæ illius interrogatione cohibere, dicit, quod neq; angeli, neq; filius sciāt. Si enim dixisset, scio quidem, sed nolo uobis reuelare: mœrore illos affecisset: nunc autem prudēter rem agit, & eos omnino prohibet à discendo, & persuadet illis, dicens: Neq; angeli sciunt, neq; ego. Ab exemplo autē intelligas, quod dicitur. Sæpe pueruli uident patres suos tenere quiddam in manibus, & hoc petūt, patribusq; dare nolentibus, plorant quod non accipiunt: denique patres occultant illud quod tenent, & ostendentes manus uacuas pueris, fletum illorum sistunt. Sic & dominus, quasi pueros apostolos alloquens, occultauit diem. Nam si dixisset, scio: non dico autem, indoluissent, quod ab illo nō discerent. Quod autem dominus sciuerit diē & horam certam, manifestū: quia seculi conditor est. Et quo pacto nesciret? Verum ut liter abscondit deus consummationem uitæ, siue omnium in communi, siue uniuscuiusque in singulari. Ut dum incertus est finis, semper solliciti simus ac anxij, expectantes illum & timentes, ne impræparatis superueniat. Consideremus autē uerba. Tarde quidem tunc adest finis, quando quis in bona senectā moritur: Media autem nocte, quum mediam ætatem peregerit: In gallicinio autem, quando in nobis ratio completa fuerit. Gallus enim ratio est, quæ nos à somno excitat, & stuporem repellit: quum igitur puer incipit iuxta rationem uiuere & sapere, tunc gallus ei canit. Ante gallicinium autē omnino puerilis ætas est. Omnes igitur finē in memoria habere oportet: etiā si q̄s puer sit, pro uidentum ne forte non baptizatus moriā. Omnibus autē hæc præcipit dominus, & his qui

qui in mundo uiuunt, & his qui secesserunt. Debemus igitur uigilare & orare. Vtraque hæc necessaria sunt; multi enim uigilant, sed noctem male absumunt. Vide autem quomodo non dixit, Nescio enim quando tempus est: sed, nescitis. Occultauit enim nostram ob utilitatem. Nam si nunc quum finis mundi incertus, mutuis odijs insanimus, quid non faceremus scientes finem? In extremam sanè malitiam insumeremus uitam, deinde de ultimo die, summa cum iactura poenitentiam ageremus.

CAPVT XIII.



Rat autem pascha, & azymorum dies futuri post biduum. Et quærebant summi sacerdotes ac scribæ, quomodo eum per dolum comprehensum occiderent. Dicebāt autem, Non in die festo, ne tumultus fiat populi. Et quum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo uenit mulier habens alabastrum unguenti nardi pisticæ preciosæ: & comminuto alabastro, effudit illi in caput. Erant autem quidam, qui indignarentur apud sese, ac dicerent: Ad quid perditio hæc unguenti? nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs, ac dari pauperibus. Et infremuerunt aduersus illam. Feria quarta concilium conuenit, & propterea ieiunamus & nos quartis ferijs. Illi quidem consultabant solennitatis tempus prætermittere: sed non permissum est eis, sed ipse sibi ipsi tempus passionis statuens in pascha uoluit crucifigi. Ipse enim erat pascha uerum, unde admirari licet eius uirtutē. Nam quum illi uellent ipsum comprehendere, non potuerunt: quando autem illi noluerunt propter festum diem, tunc uoluntarius ipse seipsum tradidit. At quum ipse esset in Bethaniæ in domo Simonis leprosi, uenit mulier. Et quatuor mentionem faciunt unguenti. Et uidetur quibusdam una esse: non autem ita est, sed duæ sunt. Vna quidem quæ apud Ioannem, quæ & Lazari soror est. Altera quæ à reliquis tribus memoratur. Veruntamen attende, & inuenies quod tres sint. Apud Ioannem quidem una, apud Lucam alia, & apud duos illos adhuc una alia. Nam illa quæ apud Lucam, meretrix erat, & in medio prædicationis Christi ad Christum uenit. Quæ apud Matthæum, tempore passionis, & non dicitur meretrix. Probat autem Christus eius uoluntatem, quod tanta expenderit in nardum. De nardo pistica, scias quod est species quædam nardi, quæ pistica dicatur: uel quod syncera sit & non adulterata, uel cum fide confecta. Erant autem quidam ægreferentes. Ioannes autem dicit Iudam ægre tulisse. Verisimile igitur & alios quidem apostolos mulierem obiurgasse, utpote qui audierant semper Christum multa de elemosyna docere. Iudas sanè non eodem scopo aduersus mulierem indignabatur, sed propter auaritiam & turpe lucrum suum. Eapropter & Ioannes ipsius duntaxat meminit, tanquam dolosa mordacitate mulierem reprehenderit. Et infremuerunt in eam, hoc est indignabantur, conuiciabantur, perstringebant eam.

At Iesus dixit: Sinite illam: cur illi molesti estis? bonum opus operata est erga me. Semper enim pauperes habetis uobiscum: & quando cunq; uolueritis, potestis illis benefacere: me uero non semper habetis. quod potuit, hæc fecit: præuenit, ut ungeret me corpus ad sepulturam. Amen dico uobis: ubicunq; prædicatum fuerit Euangelium hoc in totum mundum, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam istius. Reprehendit dominus discipulos, quod intēpestiue mulieris alacritati obliuiscuntur. Cur enim, inquit, illi negotium facitis, & estis molesti? Num, quia donum attulit, auersamini eam cū ignominia? Interim autem perstringit & proditorem dicendo: In sepulturam meam hoc fecit. & planè conscientie expertem arguit, quasi ita ei diceret: Tu quidem in mortem me tradidisti, & non reprehendis temetipsum: ista autē in sepulturam meam unguentum afferens, à deo mota, digna ne est quæ à te reprehendatur? Prophetam autem agit hoc loco dominus, duobus prædicit, & quod Euangelium prædicandum sit in toto mundo, & quod opus mulieris simul prædicandum. Confundatur hoc loco qui pauperes Christo præferunt: audiui enim ego aurifabros dicentes, quod si ego dissectum sacrum uas dem pauperibus, & ego uiuam, nec condemner. Audiant igitur quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus proprie. quod in disco aureo

passio

Tres unctores dñi.

Christi cura præferenda pauperibus

Nota